

TEXT 2. Augustini Confessiones

<http://www9.georgetown.edu/faculty/jod/latinconf/latinconf.html>

<http://www.gutenberg.org dirs/etext02/tcosa10.txt>

Liber I, Caput 1

Magnus es, domine, et laudabilis valde:

magna virtus tua, et sapientiae tuae non est numerus.

et laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae,

et homo circumferens mortalitem suam, circumferens testimonium peccati sui et testimonium, quia superbis resistis:

et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae.

tu excitas, ut laudare te delectet,

quia fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

da mihi, domine, scire et intellegere, utrum sit prius invocare te an laudare te, et scire te prius sit an invocare te.

sed quis te invocat nesciens te?

aliud enim pro alio potest invocare nesciens.

an potius invocaris, ut sciaris?

quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?

aut quomodo credent sine praedicante?

et laudabunt dominum qui requirunt eum.

quaerentes enim inveniunt eum et invenientes laudabunt eum.

quaeram te, domine, invocans te, et invocem te credens in te:

praedicatus enim es nobis.

invocat te, domine, fides mea, quam dedisti mihi, quam inspirasti
mihi

per humanitatem filii tui, per ministerium praedicatoris tui.